

350
II, 102-3 (Haupt / Subh)
ANNO M. D. XLI.
CLARISS. ET OPT. VIRO
IOACHIMO CAMERARIO BAMB-
bergenſi in Academia Tubingeniſi
amico ſuo cariff. & ſum-
mo, S. D

DEVS pater Liberatoris noſtri Ieſu Chriſti,
conditor omnium rerum, det Eccleſiæ ſuæ,
politijs, quæ ſunt veræ Eccleſiæ hospitia, littera-
rum ſtudijs, tibi & tuæ familiæ annum fauſtum,
tranquillum & felicem. Delector omine de quo
ſcribis, ſpero enim ſignificari finem harum inſuſſi-
ſimarum actionum, quæ hic inſtitutæ ſunt. Nihil
vidi ineptius ac puerilius agi. Poſtquam, vt ſcis,
trium principum Legati, Palatini, Marchionis &
Iuliacenſis, repudiarunt Eccianam formulam, ac
verecunde ſignificarunt, ſe noſtras ſententias am-
plecti, fremere cepit L. Gellius, exiſtimans indig-
num καὶ ἐπαχθὲς. Se præſente aliquos à pontifice
auelli, ac adiungi nobis. Quare ſenem Palatini Le-
gatum καὶ τὸν ἀρχιγραμματέα accerſit, petit, vt cogant
ſuos ſubſcribere Eccianæ formulæ. Sed hi quo-
que grauitè, hoc ſe facturos eſſe negant. Audio
tentatum eſſe & ſenis Principis animum. Deinde
excogitatur alia techna. Quia videbant καὶ ἀλήσιον
pugnacem eſſe, ne vt antea fecerat, tueretur in-
diſputando omnium partes, inſtituunt nouas di-
ſputationes cum ſingulis. Sperabant enim di-
ſtractos fore timidioreſ, & quosdam minus exer-
citatos in illa Ecciana ſophiſtica facilius poſſe
obruï. Hic ego noſtris contantibus ſcripſi no-
mine

Grammelian puer
ſer uerice

+ 102 6